

quam naturales rite simulque omnes nostræ actiones, labores & commercia bene procedant. Quod vero per *Usum*, *Abusumque Medicinæ* in R. P. intelligam, paucis nunc disquirendum. Nomino nimirum *Usum Medicinæ* dependentiam actualitatis boni cujusdam, ab eadem, *Abusum* vero dependentiam mali cujusdam ab eadem. Bona, malaque ab eadem dependere, ita ut Medicina sublata, non existerent, a posteriori manifestum est. Constat enim experientia, sanitatem amitti, restaurari ac conservari posse, prius malum, posterius vero bonum esse, & hinc si adversa utamur valetudine, neque corpus nostrum functionibus suis fungi possit, felicitatem nostram impediri, patet.

§. VIII.

Exigit nunc necessitas, ut, quam noxium R. P. saluti fit, monstrem, multos necessariis Medicorum requisitis destitutos, hodie adhuc *Medicinæ* ceu rei divinæ maxime scientificæ & conscientiosæ, maximo cum R. P. damno sese immiscere & experimenta per mortes aliorum facere. Ad requisita hæc acquirenda non opus est vulgari errore vel iudicio, quemvis pro Medico fingere; sed opus est institutione, studio & ad **SUMMUM ARCHIATRUM & DIRECTOREM** precibus directis. Merito itaque institutionem & studia requiro in *Medico*, ac inter alia summe necessariam C. H. notitiam adquirat: utpote cujus sanitatis conservatio, & per morbos labefactatæ restauratio, nullo modo sine prægressa sufficienti naturalis constitutionis cognitione rite peragi potest, nec frustra HIPPOCRATES dixit: *conare ut Physicus evadas*, i. e. ut naturalem C. H. dispositionem tibi satis cognitam & perspectam reddas. Hæc requisita, in theoretica s. scientifica & practica dirimenda. De prioribus quantum possibile brevissimis, per omnes tamen necessarias eorum partes in hoc & seqq. IX. & X. §. §. De posterioribus practicis vero in iisdem & seqq. præsertim X. XI, XII. & subseq. §. §.

B

Im-